48,850.

2.

Q. D. B. V.

OMNES ET SINGULOS
ORDINUM ET DIGNITATUM OMNIUM
VIROS
REIP. PATRIÆ RIGENSIS
CIVES ET EXTEROS
AD SOLEMNEM INTRODUCTIONEM
VIRI CLARISSIMI

DN. JOHANN. PAULI MÖLLERI

MATHEMATUM PROFESSORIS PUBL.
NUPER ELECTI
IN ACROATERIO GYMNASII NOSTRI
D. III. JUNII HORA ANTE MERID. X.
PERAGENDAM

EO QVO PAR EST MORE MODOQVE
INVITAT ET ADVOCAT
COLLECII PROFESSORII NOMINE
M. HENNINGUS WITTE
ELOQ. ET HIST. P. P.

RIGÆ Typis GEORG. MATTH. NÖLLERI.

A 5076.2.

VEriſſimè qvondam, nec ſine ratione, Ariſtippus, qvum ex naufragio in Rhodiorum littus, maris impetu, ventisq; aſſilientibus, eſſet delatus, ac Mathematicas inibi aliqvot reperiſſet in arena figuras, gaudio geſtiens repentè proſiluit, ac comites pariter ſuos bonô eſſe animô juſſit. Exinde enim ſe neutiqvam ad rudes & barbaros, ſed ſapientes atq; politos delatum augurabatur. Scilicet hôc ille ſtudiô homines præcipuè æſtimabat, aliis excellentiores, huic cultum, diſciplinam, humanitatem ſubeſſe, firmiter ſibi perſvadens. Difficile ſanè dictu, qvàm præſtans nobiliſſimæ Matheſeos exiſtat dignitas, qvot & qvanta in univerſum ſocietati conferat humanæ commoda. Animadverti, inqvit Socrates, qvi naturâ Mathematici ſunt, ad omnes ferè diſciplinas acutiores apparere; qvi autem ingenii hebetioris, ſi in hac erudiantur, etiamſi nihil aliud utilitatis conſeqvantur, ſe ipſos tamen ingenioſiores efficere. Qvocirca ſapientiæ Antiſtes, Plato, Matheſin κατὰ παιδείαν ὁδὸν, viam ad eruditionem appellare haud dubitavit. Hinc nemo etiam ejus freqventare audebat Gymnaſium, iſtis niſi prius imbutus eſſet ſcientiis. Et Xenocrates cuidam, Mathematum ignaro, ſuamq; ingredienti ſcholam; Abi, ait, λαβὰς γὰρ οὐκ ἔχεις φιλοσοφίας, anſas enim Philoſophiæ non habes. Ex qvibus luculenter videre eſt, qvantum Matheſi tribu-

 erint

erint veteres, utpote qvæ cum ipſo propemodum mundo incepit, cujusqve uſu legitimo carere homines nullatenus poſſunt. Manuarias ſine hac extitiſſe, qvis diceret, cùm ſua ex Matheſi ut plurimum deducant principia? Dubium ferè nullum eſt, qvin vel ante, vel paulò poſt cataclyſmum Mathematica effloruerit peritia. Si enim Joſepho, vernaculo antiqvitatum Judaicarum vindici, fides habenda, Aſtronomiæ jam tum operam dedére diluvium metuentes. Qvàm accuratè qvoqve, & ad Architecturæ normam, Deus Ter Opt. Max. arcam exſtrui Noachicam juſſerit, ex ſacro pateſcit codice. Qvid? qvod ab antiqviſſimis populis, à Phænicibus videlicet, Arithmetica, ob varia eorundem commercia; nec minus ab Ægyptiis Geometria, ob freqventem agrorum dimenſionem, qvam anniverſaria Nili inundatio, limites confundens, reqvirebat, exculta fuerit, id nemini in priſcis verſanti annalibus obſcurum videbitur. Ac ne qvis fortè exiſtimet, Matheſin exiguis contineri terminis, ingentem ejus latitudinem, & immenſum fermè, qvo ſe diffundit, ſpatium leviter duntaxat & ὡς ἐν παρόδῳ perluſtrabimus. Arithmeticæ, ut hinc exordiamur, tanta profectò invenitur neceſsitas, ut verbis vix exprimi qveat. Neqve ſolùm ea ad rem familiarem plurimùm conducit, cùm ſine numerorum doctrina gubernari neqvaqvã poſſint domeſtica; ſed in ipſa qvoqve Theologia

uſum

uſum habet longè maximum. Unde Præſul Hipponenſis, D. Auguſtinus, qvaſi ex tripode locutus eſt: Nemo ad rerum divinarum humanarumqve cognitionem accedat, niſi prius numerandi artem addiſcat. Beneficiô qvippe Arithmeticæ Chriſtianus qvivis novit qvotidie ſecum rationem ponere, benefacta benefactis addere, multa ſibi ſubtrahere, bona proximi multiplicare, ſua cum illo ex æqvo dividere, & aureæ pietatis regulæ ſtudere. Succedit Geometria, ex qva fructum non minorem itidem percipimus. Id qvod lumen Philoſophorum, Plato, innuere voluit, cùm hujus cognitionis neminem ſuorum expertem permiſit, adeoqve Academiæ veſtibulo inſcribi curavit: Αγεωμέτρητος ἀδεὶς εἰσίτω, nemo Geometriæ imperitus ingreditor. Nolumus in præſenti emolumentum exprimere, qvod ex Geometriæ notitia ad eos redundat, qvi Rempubl. gubernant. Horum ſiqvidem eſt prævidere, ut vaſa ac ſupellectilia ſuam nanciſcantur menſuram. Qvam qvoqve hæc ſcientia militibus utilis, imo neceſſaria ſit, tam in caſtrorum metatione, qvàm acie ritè ordinanda, rebusqve aliis pluribus, ſiccô nunc pede præterimus. Longum eſſet, qvid ipſa illa ICto, qvid Oratori ac Judici conferat, huc afferre. Sæpe enim qvæſtio de agro movetur, de fundis dividendis, ſæpe locus aliqvis deſcribi meretur, & ſexcenta occurrunt alia, qvæ Geometricam enixè deſiderant opem. Qvod

nec

nec Theologus absqve ea commodè progredi posſit, ſtructura templi Salomonei exactisſima, cæteraqve id genus compluria Scripturæ evincunt loca. Jucunditas verò ejus tanta perhibetur, ut Archimedes, inventô adulteratæ coronæ dolô, lætus è balneis, veſtium oblitus, domum nudus properârit, & Pythagoras, cognitâ Trianguli rectanguli naturâ, DIs centum boves immolârit. De Muſica non eſt ut prolixè agatur. Etenim qvi ejus non capitur deliciis, trunco, qvàm homini ſimilior apparet. Bona exinde pullulantia dudum jam prudentisſima Athenienſium agnovit Respublica, qvæ peculiarem Parentibus legem impoſuit, ut ſuos in Muſicis diligenter informarent liberos. Certè ſi nihil præſtaret aliud Muſica, qvàm qvod animum gravi torpere veterno haud ſinat, omni nihilominus laude atqve amore proſeqvenda. Ad Opticam, qvam Artis venuſtè appellant oculum, ſi vertere paululum mentis allubeſcit aciem, hem! qvot ibi illecebræ prorſus amabiles, qvot mira pariter & ſtupenda naturæ ſe nobis objiciunt? Uſus illius in cognoſcenda rei magnitudine, altitudine, diſtantia, extra omnem dubitationis aleam ſummus eſt & valde acceptus. Non igitur à vero abludit, qvi Opticam, tanqvam ſcalas, formavit, qvibus in cœlum adſcenditur. Per Tubum enim maculas in ſole cognoſcimus, lunæ ſuperficiem inæqvalem eſſe, ac qvaſi montibus attolli, qvaſi valli-

vallibus deprimi, nec pauca cernimus alia, qvæ nunqvam aliàs conſpectui ſe noſtro ingererent. Sic illa varias naturæ & viſûs detegit fallacias, in qvibus talpæ inſtar cœcutiunt Opticæ artis ignari. Qvid de Aſtronomia, ſiderali ſcientia, nullis non laudibus efferenda, dicemus? Sanè ex illo intermicantium ſignorum ſplendenti lumine ſvaviſſima in mundo eluceſcit pulcritudo: Neqve minus ex admirabili magnorum corporum diei ac noctis præſidum in orbem reditu, natisqve inde ſtatis temporum vicibus, inſignem haurimus utilitatem. Atqve ex hoc ipſo motu Stagirites æternum collegit motorem. Qvantum verò in omni ſocietate humana hæc valeat ſcientia, cùm temporis norma ſit, horasqve nobis, menſes, annos conſtituat, non eſt, ut pluribus explicetur. O qvàm fæda absqve illa foret confuſio in hac rerum univerſitate! Nicias olim viſâ territus eclipſi, maximo Athenienſium malo, auſus non fuit educere exercitum; Pericles contrà, aſtrorum peritiâ inclutus, eidem egregiè profuit populo. Non inſtituti patitur ratio, ut Chronologiæ fructum longè maximum adducamus. Omnis omninò Hiſtoria, niſi temporum dirigatur ſerie, obſcura, mutila ac incerta eſt. In Prædictionibus Prophetarum denſæ Cimmeriæq; occurrunt tenebræ, niſi lux Chronologiæ certiſſima affulgeat. Qvò & Geographia facit, qvæ, qvantum utilitatis Hiſtorico, Politico, imò

&

& Theologo conferat, experientia abundè loqvitur. Nec ad Mechanicas transire artes nobis conceditur, qvæ Architecturam qvoqve suo complectuntur ambitu, qvarum qvi ignoret usum, neminem hodie facilè reperiri credimus. Verùm enim verò de utilitatibus Matheseos qvid incipiamus loqvi, nullo numero pariter ac fine terminandis? Non intra ipsam consistunt, ad cæteras qvoq; disciplinas latè diffunduntur. Omnium ingenia alit, acuit, perficit, si qvisqve pro suo, ceu decet, modulo & instituto ea utatur. Id qvod, pro singulari sua, qvâ pollet, in Mathematicis disciplinis eruditione designatus Mathematum Professor, VIR CLARISSIMUS, DN. JOHANN. PAULUS MÖLLERUS, Erf. J. U. C. ubertim declarabit, Orationem inauguralem de multiplici usu & præstantia Matheseos in solemni habiturus panegyri, ut nobis proinde vela contrahere necessitas qvasi qvædam imponatur. Qvid autem ab eo expectandum, non difficile erit hariolari. Parens qvippe ejus, præter Reipubl. Præturam, in antiqvissima Germaniæ ad GERAM ACADEMIA, Professorium munus atqve decus magna cum laude gessit. Et satis erit innuere, qvod Idem ille Excellentissimum seculi nostri Mathematicum, Weigelium, aliqvandiu attentè audiverit. Nam hunc vel salutâsse, non minimam meretur commendationem. Ut verò novi muneris auspicium feliciter faciat, dies III. Junii, ex Superiorum mandato, dictus est. Qvocirca devenerandos Reipubl hujus & Ecclesiæ Proceres, qvin imo literatos atqve literarum amantes qvoscunqve, submissè ac officiosè invitamus, ut tum præsentes lingvis faveant, ac primordia hæc piis votis proseqvantur. Nos illud in acceptorum tabulas referemus, & de pensatione nunqvam non pro virili soliciti erimus. P. P. RIGÆ d. XXX. Maji, anni epochæ Christianæ CIↃ IↃ C XXCVI.